

tentia Camerali, Reuisionem petiturus specificè obseruare debet, alias ea omiſſa aut neglecta hoc remedium nihil proderit.

§. II.

Formam in genere vel Essentialem vel Accidentalem eſſe, ea Philoſophicis notum eſt. *Essentialem* hic eam dicimus qua non ſeruata et ipſum actum corruere certum eſt, quia tempore legis vel ſtatuti elapſo morae purgatio non admittitur, ſed quaſi tacita quaedam renunciatio inducitur *l. 1. ff. de decret. ab ord. faciend.* *Accidentalem* uoco, quae praeciſe obseruari non debet, ſed coincidit et aliquando omitti poteſt.

§. III.

Prior obseruanda eſt, tum quatenus hoc remedium adhibemus, petimus, et cauae applicamus, tum quoque quatenus ei ruruſum renunciamus: Ad Petitionem et Applicationem refero *I. Modum Conſtituendi. II. Modum Procedendi.*

§. IV.

MODVS CONSTITVENDI conſiſtit in neceſſariis praeparatoriis, quae ſunt de forma actus et omitti nequeunt. Sunt uero ſequentia: *I. Supplicatio* pro impetranda reuifione, quae Electori Moguntino tanquam Imperii Cancellario hodie per *Receſſ. Imp. de ann. 1654. §. 125.* intra quadrimeſtre a die latae ſententiae in ſcriptis transmittenda eſt. Quod ſi uero Moguntinus ipſe in ſua caua aut alius aduerſus eum Reuifionem petat, haec ſupplicatio dirigenda eſt ad Electorem Treuirenſem, ut is interea Reuifionem denunciet et uices Moguntini ſuſtineat *Receſſ. Imp. de an. 1594. §. als uns auch: ibi: ordnen und wollen auch hiermit, da erzehlet man ſeine Liebden, oder dero Nachkommen Erzbischoffe zu Meyntz eine Reuifion in deren und dero Erzstifts = Sachen zubegehren hätte, daß ſolch Ausſchreiben bey unſern auch lieben Neven und Churfürſten, dem Erzbischoff zu Trier geſuchet werde &c.* Et hanc formulam ſupplicandi pro Reuifione uide apud CHRIST. SCHWANM. *lib. 1. Proc. Cam. c. 75.* Contenta haec ſunt: Supplicans narrat primum ſe tali vel tali ſententia Camerali grauatum eſſe, ideoque beneficio Reuifionis uti coactum. Deinde Moguntinum implo- rat, ut interpoſitam Reuifionem Caefareae Maieſtati et futuris Reuiforibus indicare eamque iudicio Camerali quamprimum notificare

tificare